

possit: idem illud jus in probando delicto observandum est, ac si contra inquisitum legitimus existat accusator, qui teneatur insimulatum delictum probare, de quo agitur in artic. 69.

## EXEGESIS.

**D**uo iterum hic sunt notanda. (1) *Quod delinquentes interdum protervè delictum à se commissum negent*: Sunt enim interdum homines tam durâ patientiâ, ut tormentorum asperitatem contemnant, l. 1. §. 23. ff. de *Question.* & dirissimos cruciatus sustineant potius, quàm ut verum fateri velint, sive aliquod amuletum contra istæc tormenta adhibeant, videri potest *Camerar. lib. 2. c. 76. Operar. Subcis. p. 300. & seqq.* sive aliàs ob vires corporis, & robur istius naturale talia tormenta pati queant. (II.) *Quòd si contra delinquentem negantem adsint probationes in contrarium, illæ admittendæ sunt, etiam quoad effectum condemnandi.* Non enim propter meram negationem reus, contra quem urgentia indicia adfunt, statim à pœna debet absolvi, sed contra eum testium dicta, & ex illis formatae probationes oppidò valent. Hinc Thomas Grammaticus *Decis. Neapol. 8. n. 3.* ait: *Inquisitus testium dictis, & ita legitimis probationibus convictus condemnari potest, licet ille delictum etiam in tortura neget.* Ratio est, quia Index per torturam non potest præjudicare veræ probationi, & ita ansam præbere liberandi inquisitum à debita pœna, quam ipse promeruit. Ubi tria sunt notanda (1) *Si delictum evidenter possit probari*, quod tum ad ordinariam quidem pœnam, ad torturam verò procedi non possit *Ord. Cr. art. 69.* Perinde enim est, sive efficaciter probetur delictum, sive reus illud fateatur; modò etiam accusator, cui onus incumbit, sufficienter delictum probaverit, ubi tamen semper reo seu accusato, reservatur reprobatio, quæ etiam ei deneganda non est. Vide *Carpz. part. 3. qv. 106. n. 83. p. 53. Practic. Crimin.* quod si tamen nihilominus torqueatur reus, & is in negatione persistat, ordinariè puniri nequit. idem *Carpzov. part. 3. qv. 125. n. 24. pag. 218.* namque eò casu non debuerat iudex inquisitum torturæ subicere. (2) *Si delictum semiplenè probetur*; ad ordinariam pœnam neutiqvam deveniendum est, sed extraordinariè oportet procedere. Nemo siquidem in criminalibus ordinariâ pœnâ afficiendus est, nisi de cujus delicto per veras & legitimas probationes constiterit. Vincent. Hondedæus *Vol. 2. Conf. 98. n. 13.* etiamsi plures imperfectæ probationes conjungantur. *Ægid. Boss. in Tit. de Convict. n. 22. 23.* Plures namque imperfectæ probationes plenam probationem non faciunt. *Tiber. Decian. lib. 3. Con. 88. n. 5, Honded. d. l. Carpzov. part. 3. qv. 116. n. 50. p. 149. Pract. Crim.*

(3) *Si*